



ORATIO

DE

LITTERARVM GRAECARVM STUDIO

AD

CONSEQUENDAM LATINAЕ LIN-
GVAE FACULTATEM
PERVILII

QVA

DIRECTORIS PROVINCIAM
IN AMPLISSIMA SOCIETATE LATINA

SOLLEMNI RITV

IN SE SVSCIPIT

IO. ERN. IMMAN. WALCHIVS

P. P

IENAE

SVMTIBVS SCHILLIANIS c. 100 CCLIII.

1752

1902. 312

5.
ОТДА
ЛИТЕРАРУМ
ГРАФАРУМ СТАДИО
КОНСОУЕНДАМ ТАЛАИЕ ЕИН
ГЛАВ-ПАСАДАТТИН
ПЕРВАТИ
ДИЛЛОГОРИЯ ПРОДАНОИ
ИН АМПИССИА ГЛЮЧИАЛ АДАИИ
СОЛЛУИИИИИ
ІО. ЕРІЛІММАН НІЛЧИА
САУЛАН
САУЛАН
САУЛАН



Si, quanta pro huius societatis constantia ac per-
petua salute votorum meorum omni tempo-
re fuit religio, tanta quoque mihi in hoc
ad dicendum amplissimo loco ingenii facul-
tas esset data, nemini credo mirum videri
posse, auditores, quid sit, quod ego potissi-
mum hoc sollemini die surrexerim, is, qui neque aetate; ne-
que dignitatis amplitudine sim cum iis, qui ante me
directoris munus administrarunt, comparandus. Quae quum
cogito, viribus meis me dissidere, atque, ut respondeant
huic muneri, vereri, libentissime quidem fateor; tamen, quod
in publicis aliis officiis accidere solet, ut ii, qui horum o-
neri impares se sentiunt, in bonorum studiis et auxilio tan-
tum sibi praesidii relictum esse, experiantur; quantum vide-
antur sibi ipsis per imbecillitatis suae conscientiam derogare;
idem et mihi hodie accidisse, PRAESTANTISSIMI SODALES,
faustis excitatus omnibus, summopere laetor. Erigit me
deinde ac dissidentem confirmat vestra, quam summam
et singularem omni tempore erga me existare voluistis, be-
nignitas.

IV

nignitas. Si quid ergo sit, in quo, non propter culpam voluntatis meæ, quam in vos semper reperiatis gratissimam; sed propter virium mearum rationem vestræ de me expectationi haud satisfecisse videar, habebo certe, vnde ex ipso vestro erga me fauore caussæ meæ petam præsidium, quod non mea sponte; sed a vobis prouocatus: non aliqua arrogantia; sed pro incredibili vestro me ornandi studio hanc prouinciam sum consequutus. Quo magis vero summa hac vestra benignitate me vobis esse obstrictum, profiteor; eo maiori ope et opera enitar, vt, quantus meus, societati consulendi, sit ardor, quantumque eius dignitatis et conseruandæ et amplificandæ, studium, vos luculenter intelligatis; reliqui vero omnes simul meum vobis addictissimum vestrique honoris studiosissimum animum cognoscant meque vestram voluntatem: huius politiorum musarum sacrarii incolumitatem et salutem sociorum meis omnibus commodis et rationibus preferre, multis manifestis videant signis. Faciam itaque hodie muneris mei auspicia, AUDITORES, et ita faciam, vt simul amplissimæ huic societati boni ominis caussæ mei erga ipsam animi pignus quoddam publicum a me offeratur. Ecquod vero illustrius ipsi dari; aut præstantius mei in litteratum hunc coetum studii monumentum statui posse censem, quam si eas ipsas litteras defendam, quarum dignitatem ab iniuria et contemtu per quartuor fere lustra tam strenue ab ea vindicari cœnitis? Si quid igitur auctoritatis in me est, ea ad eloquentiae Romanae commendationem, et ita quidem hodie vtar, vt, quantum Græcarum literarum studia ad comparandam illius facultatem valeant, a me breui oratione ostendatur. Ad quam vt animos adseriatis mihiq[ue] beneficium, quod in audiendi studio et suffragandi voluntate positum est, haud denegetis, ea, qua decet obseruantia, rogo atque obtestor.

51

si et Romanæ linguae nullum ex Græca decus spe-
randum nullaque elegantia concilianda foret; neque esset,
vnde illi ex huius cultura vel vllus accederet splendor; ha-
berem tamen profecto, cur illius amatoribus hanc non maxi-
mopere solum commendarem; sed Græcas quoque litteras ad-
firmarem omnis liberalioris doctrinae et firmissima præsidia
et præclara instrumenta esse et merito haberi. a) Velim no-
lim fatear oportet, Græciam illam veterem, vt orbis, qua-

A 3

pater,

a) de vñ et præstantia Græce lin-
guæ sunt commentati: SCIPIO CAR-
TEROMACHVS orat. de laudibus lit-
terarum Græcarum, Venetiis, CIO IOINI.
Bafileæ, CIO IO XVII. et apud lod. Ba-
dium CIO IO XXXXIII. que oratio etiam
tom. I. thesauri lingue Græca HENR.
STEPHANI et IAC. LECTII corpo-
ri poetarum Græcorum premissa est:
CONR. HERESBACHIVS oratione in
commendacionem Græcarum litterarum,
Argentorati CIO IO LI. cuius excerpta vna
cum oratione M. ANTONII ANTI-
MACHI de literarum Græcarum lau-
dibus itidem tomo I. modo memorati
thesauri Stephaniani suppeditantur. Eo
pertinent quoque: SVFFRIDI PETRI
orationes quinque de multiplici velitate
lingue Græca, Basileæ CIO IO LXVI.
LAURENTII SIFFANII oratio in
commendacionem Græcarum litterarum
tom. I. orationum Ingolstadiensem VA-
LENTINI ROTMARI, p. 404 sq.
CHRIST. WOLDENBERGIVS ora-
tione de vñ Græca lingue in omnibus
scientiis, Rostoch. CIO IO LXVII. GEORG.
ANDR. IRREHOFIUS in politico Græ-
co, Norimb. CIO IO LVIII. PETRVS
FRANCIVS orat. de vñ et præstan-

ria lingue Græca, Amst. CIO IO CLXXXVI.
IAC. PERIZONIVS orat. de vñ ar-
que velitate Græca Romaneque lin-
guæ, eloquentia, historie et antiquita-
tis in grauioribus disciplinis, Lugg. Bat.
CIO IO C LXXXIII. et in eiusdem opu-
sculis, p. 51. SAM. BATTIERIVS
orat. de studii Græcae lingue velitate
et commodis, pars. XII. miseri Helue-
tici, p. 523 sq. IO. WOLFG. TRIER
de vñ lingue Græca, Lipsiae
CIO IO CC VI. §. IX. p. 14. sq. IO. OL-
DERMANNIVS orat. de Græcarum litte-
rarum dignitate et præstantia, Helmst.
CIO IO CC XVII. TI. HEMSTERHVI-
SIVS orat. de Græca lingue præstan-
tia ex ingenio Græcorum et moribus
probata, Franekeræ CIO IO CC XXI. A-
LEXANDER POLITIVS oratione de
litterarum Græcarum necessitate, tomo
III. EVSTATHII in Homerum, ab
ipso editi, premissa: ANGELVS MA-
RIA RICCIUS volum. I. eius differ-
entiationem Homeriarum, p. 246. sq.
aliisque a GEORG. DAN. MORHOPIO
polyhist. literar. tom. I. libr. III. cap.
p. 773. et in catalogo bibliorbece illu-
strissimi comitis DE BNNAV tom. I.
p. 336. excitat.

patet, terrarum præcipuum lumen et singulare ornamentum; sic omnium præstantissimarum artium tam felicem parentem; quam secundam olim ingeniorum fuisse matrem. Quicquid sane hodie habemus, modo ad humanitatis studia spectet: modo semina quasi grauiorum disciplinarum complectatur, id omne fere, credite mihi, habemus ex præstanti illa sapientiae officina: id omne ex dulcissimis illis Græciæ fluxit fontibus. b) Res ipsa loquitur, AUDITORES, quam si operosius demonstrare; aut multis exemplis ac testimoniiis firmare vellem, temporis potius; quam argumentorum penuria mihi foret pertinacenda. Id tamen nullo pacto præteriri a me potest, de illa laude, quam omnes ex omnī ætate vna ac constanti voce Græcis haud denegarunt: quam ne Romani quidem, illorum gloriae inuidentes æmuli, inficiari conati sunt, c) hodie si quis vellet detrahere, eum non dicam aequitatis; sed omnis humanitatis expertem esse; aut certe non alienum a partium studiis animum adferre mihi videri. Neque vero non in tanta eruditiorum hominum multitudine tantum abest, vt insignem hanc laudem Græcis abiudicare sibi quis sumserit, vt ii ipsi, qui litteras has aspernari et contemnere; aut saltem vix primoribus gustare labris atque extremis, vt dicitur, digitis adtingere solent, in earum laudatoribus passim fuerint; neque veriti sint, publice eo nomine Græciam nobilitare et amplissimis verbis extollere. Quorum quidem preclara testimonia haud parum ego arbitror valere ad confirmandam harum litterarum præstantiam, cum ob rei veritatem, quam et

b) fuisse hæc monstrarunt ALEXANDER POLITVS oratione excitata, p. VIII. et SCIPIO CARTEROMA-

c) vide HORATIVM de arte poet. v. 323. et 324. ex recentioribus ANG. MAR. RICCIVM, vol. I, eius dissertat. Homeric. p. 246.

et renuentes agnoscere debent, tum quod pudor, si quid ego iudico, ea quodammodo extorsisse videtur et ab inuitis quoque expressisse. Ut enim, si cuius oculorum acies tanta non est, vt in tenuissimis magni pretii et artificii rebus ea bene videat, quibus alios pasci delectarique audit, is non negare facile audet, quæ ipse non cernit; sed ne miser et calamitosus reliquis videatur, aut eorum ludatur irrisione, eadem videre se ac sentire, simulat; ita simillima fere eorum hominum est ratio, qui Græciam litteratam commendant, quamquam ipsi in eius musarum templis nulla vñquam fecerunt sacra; aut pedem intulerunt his veræ elegantiae et doctrinæ liberalis emporiis. Quum enim non audent, C. Mario, illi ciuilis bell'i faci, se adiungere ac palam cum ipso vociferari: *d)* GRAECAS LITTERAS NON DIDICI: quum eos ipsos pudet tristis huius et barbaræ et funestæ, quam a monstro et prodigio illo mislam accepimus, vocis: quum ipsi, neque sine causa, verentur, ne, quum negant, quæ nemo negare audet, ludibrio exponantur, quidni vel ex imperitorum horum testimonio facile intelligatis, AUDITORES, non commentitiam; aut a nimio huius linguae amore profectam esse hanc, quam pertinacissime defendo, Græcorum gloriam: quidni, si ipsos Romanos videris ea in re consentire, veram credatis esse Græcorum laudem, in cuius possessionem ne litteratissimæ quidem olim gentes inuadere; aut, maiora in litteris confiendo spatia, eam extenuare potuerunt. Quid queritis AUDITORES? si vel ipsa nomina ac vocabula, cuiusuis liberalis artis propria et ciuitate quasi hodie donata, contemplari: si litterarum studia eorumque antiquissimis temporibus faciem intueri velitis, illorum vi originem; sic horum incunabula, et quid de incunabulis dicam, immo singulare fere, ad quod elata sunt, digni-

d) vide SALLYSTIVM bello Iugurthino, cap. LXXXV.

VIII

dignitatis et splendoris fastigium in Græcia, in instructissima illa ingeniorum palaestra reperietis. Græcis utimur vocabulis, si rhetoricae; aut poeticæ artis tradimus precepta: Græca sunt, quibus naturæ vires ac caussas designamus; aut herbarum, plantarum lapidumque diuersa genera inter se discernimus: Græce loquimur, si folis, lunæ fiderumque motus ac diuersum eorum situm definimus: Græce, si morbos suo quemque adpellamus nomine: Græce, si remedia, ad illos adhibenda, ostendimus: e) Græce, si numeros comparamus; aut in rerum dimensionibus versamur. Si porro eloquentiam profitemur; aut dialecticam artem, omnes fere virtusque disciplinæ regulas totamque inuenienti diiudicandi rationem ex Græcis haurimus fontibus. f) Si in philosophia nos demittimus fundum, musas, quæ ibi ingenii excolendi magistræ fouentur, Græce loquentes audi-
mus. g) Quid itaque mirum, si omnium fere liberalium artium disciplinis primum lumen in Græcia accendi: si ab iis ingeniis faces præferrri cernimus, quæ felix illa et beata nutrix in gremio suo olim aluit: si Romanos se totos legimus in Græcorum disciplinam tradidisse: h) si et hodie in
omnium

e) lege MAVR. EVCHAR. STVR-
MII orationem de lingue Græca in
studio medico vilitate, Græce, cum
addita versione Latina, Altorf, c. 10 C
LXXXV.

f) usum lingue Græcae in humani-
tatis studiis præter alios, supra lauda-
tos, monstrauit MICHAEL ROSSAL o-
rat. de præstantia lingue Græca ad
artium liberalium cognitionem adipi-
scendam in orationibus selectis clarissi-
morum virorum a cel. IO. ERHARD,
KAPITIO Lipsiæ c. 10 CC XXII, editis,
p. 178. sq.

g) vide SCIP. CARTEROMA-
CHVM et ANTON. ANTIMA-
CHVM orationibus excitatis, illum p.
III. hunc p. XI. Quantam vilitatem
litterarum Græcarum studium iurisperito
adferat, copiose monstrauit CONR.
HERESBACHIVS supra memorata or-
atione, p. XVI. sq. ad quem adiun-
gas: IO. PRETTENIUM differt. de
Græce lingue necessitate in vero iuris-
prudente, Cizz, c. 10 C LXII.

h) conferas cum his, quæ CARTE-
ROMACHVS p. VII. obseruauit.

omnium fere litterarum campis, in quibus ingenii experimur vires, Græcis, tanquam primis magistris, aeterna et perenni laude virentia tropæa statuta obseruamus: si eloquentiae cultores DEMOSTHENEM, LYSIAM, AESCHINEM, ISOCRATEN: si poetæ HOMERVUM, EVRIPIDEM, SOPHOCLEM, LYCOPHRONEM, PINDARVM, si philosophi PLATONEM et ARISTOTELEM, si mathematici EVCLIDEM, APOLLONIVM PERGAEVM, ARCHIMEDEM, PROCLVM, EUTOCIVM ASCALONITAM, THEODOSIVM TRIPOLITAM, SERENVM ANTISENNENSEM et PTOLEMAEVUM, si medici HIPPOCRATEM et GALENUM, si alii alios summopere venerantur eosque ut primos eius, quam profitentur, disciplinæ architectos: immo ut duces et antesignanos maximo prosequuntur cultu.

FACILE mihi esset, auditores, ex iis, quæ strictim et breuiter dixi, Græcarum litterarum præstantiam et virtutatem luce clarius vobis ob oculos ponere ac præ ceteris monstrare, neminem sacrarum litterarum doctoris partibus satisfacere eiusque nomen ac dignitatem rite posse tueri atque defendere, nisi huius linguae cognitionem sibi comparauerit perfectam omnibusque numeris absolutam. Neque ego mihi credo deesse posse et multa et grauia argumenta, si, ciuitatis christianæ fata cognoscere; i) aut eos scri-

i) exemplo suo, quantum ea in redamni adserat Græca lingua ignorans, præter NATALEM ALEXANDRIVM, CAESAR BARONIVS testimatum fecit, quem scimus ob eamdem haud raro impegnisse et a vero aberasse tramite. Conf. 10. LAVNO-IVM iudicio de controv ersia super ex-scribendo Parisiensis ecclesie martyro-

logio exorta, p. 2. sq. MARVIL, LAEVUM melange d' histoire et de litterature, tom. II. p. 218. ALEXANDR. FOLITVM orat. memorata, p. VIII, sq. beatum auum isagoge ad theologiam uniuersam, libr. I, cap. 4, p. 105, sq. et ven. patrem histor. ecclesiast. noni testamenti, prolegom. §. VIII. p. 20, sq.

B

scriptores, qui sapientiam, e cælo deuocatam, abditosque unum
minis sensus patefaciunt, legere cupienti huius linguae stu-
dium summopere necessarium esse, vellem demonstrare.
Quam multa quoque dici possent, si, quantum suauitatem ac
iucunditatem litteræ hæ possideant: quantos porro virtutis
et humanitatis stimulos legentium admoueant animis, CA-
TONIS k) aliorumque exemplis ostendere, mihi animus es-
set, quorum ille senex Græcas litteras didicit easque sic a-
uide arripuit, quasi diuturnam sitim vellet explere; hi ve-
ro in ipsarum gremio consenserunt atque in his otium, ob-
leßamenta et ipsum senectutis quæsierunt solatium. Quo-
rum vberiorem tractationem si tempus ferret et instituti ra-
tio, haud inutilem certe iis præbuſſe operam viderer, qui,
quantam deleßationem adferant Græcorum ingeniorum
monimenta, nunquam experti sunt et quorum nu-
merum iusto fere maiorem esse, multæ sunt, vt credam, quæ
moueant, rationes. Quotus enim quisque inuenitur, sua-
uissimi auditores, qui in ludis litterariis, et proh dolor ſepe
neque fine rædio; neque fatis commode, ad veterum Græ-
corum scriptorum lectionem institutus, si forum adtigerit
litterarium ac togam academicam sumferit, Græcas litteras,
in scholis hauſtas, reguſtare iisque vel minimum temporis
ſpatium, a grauioribus negotiis vacuum, conſecrare ſoleat?
Non itaque mirum, si adultior et ſimil in euoluendis Græ-
cis scriptoribus et tardior; et negligentior factus, Græciæ de-
licias non ſentit, quas antea neque cepit; neque intellexit æ-
tas eius puerilis, cum ob mentis ingenique imbecillitatem,
tum propter vocabulorum copiæ, inter legendum ſibi com-
parandæ, curam, quæ impedit, quo minus vera orationis
Græcæ ornamenta ac decora videre et adſequi poſſi-
mus.

k) libr. IIII. academicar. quaſtionum, num. 4. p. 1063. operum, edit. G.R.O.
NOVII.

mus. *l)* Sed mitto iam eius generis homines, qui eo difficilius emergunt seque ad bonam, ut dicitur, frugem recipiunt, quo negligenter ab ipsis in prima iuuentute habita sunt optimæ illæ litteræ: mitto cum his et alia, ex quibus linguae huius præstantia intelligi possit, argumenta, præsertim quod in uberrimam hanc messem aliorum falces ante me immissas et campum iam occupatum video. Si qua tamen laudibus his, quas multi iam decantarunt, addenda videntur, ab aliis vel prætermissa penitus; vel leuiter et quasi per transennam exposita, summam sane et fere maximam literarum harum commendationem a lingua Latina arcessendam esse puto, ad cuius solidam cognitionem neminem posse arbitror sine Graecarum literarum ope rite peruenire. *m)* Quæ ut argumentis firmentur et causæ meæ, quam suscepimus defendendam, fides concilietur atque auctoritas, prodeant in scenam Romani, eo locupletiores hac in re testes, quo peritores confat eos fuisse dicendi scribendique artifices et quo magis ipsorum, quod in lingua patria expolienda posuerunt, indecessum studium hodie miramur. Erat Roma, cuius maiestatem, in ruinis et puluere adhuc spirantem, stupentes intuemur, erat, inquam, augusta illa vrbs ut fortissima olim gentium; sic strenua barbarie viatrix: erat beatissima omnis vera elegantiæ omnisque cultus magistra: erat præclara olim eloquentiæ sedes, in qua fulgentissima rhetorum ora in omnibus fôris iudiciisque personabant. Vnde nam vero tantam forensem vim, tantam in dicendo gratiam et suavitatem, tantam in amicorum congressibus festiuitatem in Latium venisse putatis? Ipsa Roma se omnia Græcis eorumdemque litteris debere, libens confitebatur,

B 2

tur,

l) Taceo de aliis causis neglegiti litterarum Græcarum studii, de quibus videnda oratio ANTONII BIRRI de causis neglegiti a multis lingue Græcae studii, part. v. musci Helvetici, p. 64. sq.
m) vid, CARTEROMACHIVM, p. iii.

XII

tur: his acceptum referebat, quicquid in sua lingua esset pulcrum et præclarum, quicquid elegans atque venustum. ⁿ⁾ Non dissimulat id præ ceteris QVINCTILIANVS, ^{o)} et quamvis iure meritoque linguam Romanam nobilem, præclarum atque elegantem habeat; eius neutiquam tamen amore ita est captus, quin Græcis ea in re principatum et venerem illam, a Romanis tanto studio quæsitam, Atticis solis concessam esse, libentissime fateatur.

NOLITE itaque mirari, auditores, quid caussæ fuerit, quare patrios oratores et poetas non magis laudare; neque honorificentius de ipsis existimare se posse, arbitrati sint Romani, quam si eos cum Græcis compararent scriptoribus, quorum vestigia sequi atque ex his omnem in Latinum sermonem deriuare loquendi elegantiam, in summa laude possumus atque creditum olim fuit, neminem, nisi his litteris probe tinctum atque imbutum, in dicendo vim et suavitatem consequi posse. Ita Alexander Seuerus, quem Virgilium summis laudibus ad cælum usque vellet extollere, nullum dignius se nomen dare ei posse existimauit, quam si eum poetarum Platonem adpellaret. ^{p)} Quod vero Aelius Stilo de Plauto dixit, Plautino sermone, si latine loqui vellent, fine dubio musas loquuturas esse, id CICERO ad Græcos per quam commode transfert, et Iouem, si veller loqui, Platonis lingua esse usurum, credere se, profiteretur. ^{q)} Omnes proinde Latii scriptores, qui in aliquo numero habiti olim sunt: qui et hodie apud nos dignitatem sibi et fidem conciliarunt, ad Græcorum imitationem orationem suam

ⁿ⁾ lege ALEXANDRVM POLITVM orat. de ANGEL. MARIAM RICCIVM vol. I. eius supra laudata, p. viii.

^{o)} libr. XII. de institut. orator. cap. 10. p. 1088. sq. edit. BVRMANNI. Ad. differentiationum Homericarum, p. 247. sq.

^{p)} vide eundem, p. 250.

^{q)} lege POLITVM, p. X.

suam fingere: ab his similitudinem ducere studuisse vide-
mus. Quodsi auctoritatibus hanc causam confirmandam
ac defendendam existimatis, est vobis auctor VIRGILIVS
poeta, in iis, quos vetus Latium vidit, facile princeps, cu-
ius carmina ut tantopere sese omnibus legentibus commen-
dant, efficient tot HOMERI, HESIODI et THEOCRITI, qui-
bus nitent, veneres ^{r)}, quas ex hoc in eclogas, ex illo in
Georgica, ex isto in Aeneidos libros apte sciteque deriuare
didicerat: est TERENTIVS, ^{s)} summo ingenio et peritia
prædictus, qui ipse, multa se debere MENANDRO, ingenuus
fatetur: est SALLVSTIVS, quem THVCYDIDIS: ^{t)} est TACI-
TUS, quem POLYBII: est OVIDIVS, quem THEOCRITI
æmulum fuisse, ex ipsa eorum scribendi ratione luculenter
cognoscitur: est denique magnus ille castæ latinitatis anti-
stes omnisque Romanæ elegantiæ grauissimus vindex, M.
TVLLIVS CICERO. ^{u)} Qui etsi ipse in ea erat sententia, tan-
tum in eloquentiæ studio profecisse Romanos, ut a Græ-
cis ne verborum quidem copia vincerentur; nunquam ta-
men Romanorum gloria tam studiosum suique honoris
tam cupidum eum reperietis, quin omnem suam dicendi
viam ex Gracia se accepisse, libere fateretur, siusque amicos

B 3

eo

- ^{r)} confer A. GELLIVM libr. VIII, no-
tium Atticarum, cap. 9. p. 444. edit.
GRONOVII: ex recentioribus, EYLV. VR-
SINVM in Virgilio Grecorum scripto-
rum collatione illustrato, Antwerp.
CIO IO LXVIII. IO. ALB. FABRICIVM biblioth-
ecæ, Graeca, libr. II, cap. 7. p. 353.
IVL. CAES. SCALIGERV M libr. V. poet.
cap. 4. p. 572. HENR. STEPHANVM ob-
seruationibus in Virgilianas et Nasfonia-
nas Theocriti imitationes. RAPINVM
obseruationibus in poemata Homeri et
Virgilii: ven. patrem bistor. critica
- linguae Latinæ, cap. III. p. 224.
^{s)} prologo Andriæ.
^{t)} vide VELLEIVM libr. II. cap.
36. §. 2.
^{u)} lege DEMOSTHENIS orationem
contra Aristog., et compara cum hac
eam, quam Cicero pro Archia habuit.
Adde CAVSSINVM de eloquentia, libr.
III. cap. 17. p. 130. SVIDAS lexic.
voce Kauzibog rom. II. p. 285. ed.
KVSTERI refert, iam olim Ciceronem
cum Demosthene a Cælio Siculo
comparatum esse.

eo, vnde ipse hauserat, mitteret, vt fontes ibi potius; quam in Latio riulos consecarentur. ^{x)} Neque vero non verissime dixit venerandus ille eloquentiae pater, quum incomparabiles a se collectas eloquentia opes Græcis referre se acceptas, adfirmauit, siquidem is vt omnia fere, quæ Græcia tulit ac fouit, ingeniorum monumenta adiisse; sic maxime DEMOSTHENEM tanta cupiditate a teneris annis legisse fertur, nunquam vt eum et puer et senex e manibus dimitteret; sed eius orationes dies noctesque sine satietate versaret: eas crebro regustaret omneque fere suum otium, tempus, æratem in iis peruvolutandis: immo et in patrum sermonem transferendis indefesso studio contereret. Quo effecit, vt, quantus fulgentissimi huius oris admirator, tantus quoque tamque felix eius in eloquentia existeret imitator. ^{y)} O magnum et præclarum rhetorem Arpinatem! Quidni, MARCE TVLLI, populo tuo iucundum in foro et rostris præbere spectaculum: quidni vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis e Græcia in Latium deuocare ^{z)}: quidni nobis fere totam eloquentiam Græcam, Romano yestitam habitu, in ore tuo clarius; quam vsquam alibi fulgentem, ostendere nobis videris? Si te intuemur, si, tuas legendo orationes, te nobis animo singimus pro concione dicentem, digitum te simul ad viam, quam ipse ingressus es, intendere aditumque nobis monstrare obseruamus ad veram illam eloquentiam, cuius in te vim non satis possumus mirari: ostendis nobis Græciam, velut fidissimam tuam atque optimam præceptoris, tuoque illustri nos doces exemplo, Græcos aucto-

^{x)} vide IO. NIC. FVNCCIVM de RICCIUM vol. I. eius dissertationum pueritia lingua Latinæ, cap. I. §. III. Homericarum I. p. 253.
p. 160.

^{y)} conferatur QVINTILIANVS
^{z)} lege ANGELVM MARIAM libr. x. institut. orator. cap. I.

auctores legendos: Græcos imitandos esse, si vel aliquam in dicendo vim consequi; aut eloquentiae nobis parare laudem velimus. Cognoscite ex eo, suauissimi auditores, quid sit, quod Romani pueros Græcis prius; quam Latinis litteris imbuvi voluerint: a) quare Crassus, ut Græco sermone dicendi præcepta in vrbe traderentur, instituerit: quare Tullii exemplo PLINIVS, b) Atticæ festiuitatis in Latio opifex ille ingeniosissimus, Græcos oratores et poetas crebro legendendo conterendos: Græcos exprimendos: Græcos in sermonem patrium transferendos esse, c) et nusquam melius proprietatem splendoremque verborum, figurarum copiam, vim explicandi, facultatem inueniendi, quam Græcorum imitatione, parari, sit arbitratus.

QVAE quum ita sint, omni hoc vobis ratione confirmare possum, præstantissimi auditores, si et Romanos tam præclare de litteris Græcis sensisse easdemque puerorum animis, ad eloquentiam fingendis, adhibuisse, non satis esset hodie expeditum atque exploratum; solum tamen illustre ac præclarum Ciceronis et Plinii exemplum, si quid ego iudico, ad imitationem accendere vos posse, atque ad Græcorum auctorum lectionem mirifice inflammare. Vidistis, eos maximam in dicendo vim ex Græcia petiisse et Græcorum imitatione summam eloquentiæ laudem esse consequutos.

Vidistis

- a) vide RICCIVM loc. *excitato* GISEB. CVPERVM apotebos. *Homeri*,
p. 258.
- b) libr. vii. epist. 9. collato libr. *bistor. Græc. lingue*, p. 81. GEORG.
n. ep. 14. Adde QVINCTILIANVM NIC. KRIEGKIVM de *Sophistarum elo-*
libri I. *institut. orator. cap. I. libr. X. quentia*, §. VII. CONR. BVDDE de
cap. 5. CORNELIVM NEPOTEM vie. studiis liberalibus apud vet. Romanos;
Attic. cap. 4. §. I. et cap. XVIII. §. p. 27. sq.
- 6. SVETONIVM *vite Augusti cap. 6. vid. PLINIVM et QVINCTI*
XXXVIII. §. I. ex recentioribus: LIANVM locis excitatis,

XVI

Vidisti simul, quod quidem vidisse vos, certe credo, vidi-
 stis, inquam, in Græcia aperiri vberrimos illos eloquentiæ,
 quam in Cicerone mecum miramini, et copiosissimos fontes:
 ex Græcis auctoribus optimam quasi peti imaginem, ad
 quam velstram orationem, si ab elegantia ducere debeat
 commendationem, ut fingatis, necesse esse videtur. Quodsi
 vero tardi is ab ipso CICERONE censetur ingenii, qui riui-
 los consecutatur; neque fontes rerum vider: si ex his et lar-
 gius et dulcius et purius haurire solemus, quam ex illis,
 qui aquam neque totam capiunt; neque sinceram solent
 deuehere: si, qui aliquod munus efficere molitur et speci-
 em aliquam intuetur, is eo præclarius opus efficiat, necesse
 est, quo pulcrius et perfectius est id ipsum, quod ad imi-
 tandum sibi proponit, exemplar, non dubitate profecto pot-
 eritis, auditores, eos, qui cum Latio Græciā coniungunt,
 neque illius solum; sed huius quoque ingeniorum
 monumenta contemplantur, exoptatissima laborum suorum
 præmia et vberrimos industria fructus esse consequuturos.
 In Græcia reperimus ipsos fontes: in Latio, qui ex his de-
 ducti sunt, riuios: in illa eloquentiam veram et quasi
 viuam: in hoc malleo, ut ita loquar, elaboratam: in illa
 fouentur ipsa oracula: in hoc eorum iacerdotes quasi alun-
 tur atque interpretes. Vtrisque opus vobis est, si orationi
 vestrae vires et lacertos addere, si suavitatem ei conciliare,
 unoque verbo, si ad abdita illa eloquentiae penetralia de-
 scendere vultis. Delectari vos scio TULLII nostri dicendi
 suavitate et copia, neque ullum facile reperiri arbitror, qui,
 quum ad Latinas incumbat litteras, non facile, si fieri posset,
 eamdem, quam ille latinitatis præsul, laudem consequi, in
 votis haberet. Censemus omnes, Ciceronem in eloquentia
 esse imirandum. Quare non sequenda arbitramur eius ve-
 stigia in eloquentia comparandæ modo? quid cunctamur?
 quid

quid retrahimus pedem in ea ipsa via, in qua Latii rhetoribus iter ad summam eloquentiae laudem patuisse: in qua tot tantosque gloriae cursus confecisse eos, non sine admiratione videmus: cur decerpis in Latio floribus, quos legere, nemo est, qui reprehendat, cur inquam, solis illis satiamur, quibuscum viuos quasi; nec delibatos in Atticis campis possumus coniungere? Absit, ut, quum Græciae litteratae caussam ago, de Latii scriptorum dignitate et auctoritate quid velim detrahi, quam credo esse tantam, quanta cogitari potest maxima. Neque ego is sum, qui, quod Græcos auctores commendo eorumque in comparanda Latinae linguae facultate demonstro utilitatem, Latinos ideo circos negligenter haberi; aut parum legi; neque eodem studio ad imitationem proponi velim; nisi tamen me omnes rationes fallunt, ii, qui Latinam linguam sine Græcae ope atque auxilio excolunt, neque prudentem; neque felicem; neque nobilem; neque iucundam peregrinationem instituere mihi videntur. Fingite vobis animo, esse, qui sumptuosisima itinera faciendi: nobilissimas prouincias ob-eundi cultissimasque Europee partes lustrandi, cuperint consilium. Qui si ignobilia prouinciarum loca peragrare: in horum percusione iusto diutius hærere; illustiores vero ciuitates, quæ gentium capita sunt et lumina prouinciarum, eam ob caussam præterire vellent, quod eas in tabulis depictas domi longe commodius et sine itinerum molestiis possint contemplari, næ illi vehementer errarent turpiterque se deciperent, si ex operosis, quantacunque etiam fecerint, itineribus insignem et fructum et gloriam exspectandam sibi esse, arbitrarentur. Simillima fere, credite mihi, eorum est ratio, qui omnem, quæ fingi potest, in dicendo vim et copiam in Latio conquirendam esse putant atque in huius solum; neque simul et in Græciae

C magi.

XVIII

magistrorum disciplinam tradere sese solent. Quum enim omnes suauiores musæ, quotquot fuerint, ex Græcis domiciliis atque officinis in Latinas quasi demigrasse dicantur colonias: quum ipsos Romanos, omnem eloquentiae apparatus, omnem dicendi copiam et libertatem, omnem, quæ in lingua ipsorum sita sit, venustatem, omne denique, quidquid pulcrum et præclarum vel ullo modo possit censi-
ri, ex Græcia accepisse se, libentissime fateri, iam supra audiuius, non errauerit, si, quam in Græcia habeamus, eloquentiam animatam et spirantem, eamdem in Latio de-
pietam: quam ibi naturalem; neque aliunde quæstram, hic arte expressam et ex Attico potissimum fundo translatam: quam ibi natuam et domesticam, hic inquinam reperiri, quis dixerit.

FORSITAN quæratis, AUDITORES, quæ ista similitudo fit, et quæ tanta linguae Latinæ cum Græca conuenientia, quæ efficiat, ut alteram ex altera perficere et ex huius copiis in illam tot illustria decora: tot splendida ornamenta congerere possimus. Quam quidem ego rem et quanta sit linguarum harum cognatio, ignorare vos posse, minime arbitror, si vel leuiter ad ipsam originem et incrementa linguae Latinæ velitis animum referre. Si originem cogitamus, Græcam linguan matrem, si incrementa, magistram Latinæ fuist, reperiatis. Nolo in præsenti copiosius de lingue Romanae origine disceptare, quam scio ab aliis a patria nostra lingua: ab aliis, neque immerito, a Græca esse deriuatam. ^{d)} Nec operiosius excutere animus est, quæ

DIONY-

^{d)} lege 10. NIC EVNCCIVM de gine Germanica linguae Latinæ, et origine lingue latine cap. v. p. 64. et CHRIST. FALSTERVM questione de pueritia lingue latine's cap. i. p. bus Romanis, libr. I. cap. 2. p. 27.
155. 10. LVD. PRASCHIVM de ori-

DIONYSIVS HALICARNASSENSIS e) de Troianoium gente
 memoriae prodidit, maxima ex parte eam Græcanicam fuisse
 Aeneamque, vltro citroque vagarum, ad pulisse tandem
 Italianam ibique cum suis consedisse. Quæ si nihil dubitationis
 habent, eorum, qui in hac controuersia pro Græcia
 pugnant, caussam insigniter his defendi ac confirmari
 posse, mihi persuadeo. Nec libet quoque, exemplis ostendere,
 quam arcto vinculo ambæ linguae inter se nexæ colligatæque
 videantur, id quod nemini obscurum esse potest,
 n modo lingua alteram comparare cum altera et in utraque
 rerum notiones designandi modum rite velit confidere.
 Id tamen nullo modo a me potest præteriti, vel ex
 ipsis linguae Latine initis, progressu ac, quæ olim subiit,
 fatis luculenter posse intelligi, quantum ista genita Gracæ
 vt matri: quantum maturata et expolita eidem, vt magistræ
 suæ, debeat. Quam aspera, quæso, quam dura, quam
 impolita fuit Latii prisci lingua, antequam barbari Romanorum
 animi Græcis litteris excoli hisque ad mansuetiorem
 vitam perduci cœperunt? Vos ipsi, auditores, satis
 agrestes atque incomitas scitis fuisse priscas illas Latii mu-
 sas, antequam demiserunt se in dulcissimam illam cum
 Græcis familiaritatem ac consociationem. Quam primum
 vero istæ et extra patriam suam officinas ac sedes sibi con-
 stituebant et in Latum quoque migrabant, dubium tere
 videtur, vrum plus mansuetudinis moribus ac vita; an
 linguae Romanorum plus elegantiae ac suavitatis istæ conciliauerint. Ipsa Romana lingua nouam plane tum induebat
 faciem, eo formosior facta, quo maiori studio litterata,
 quæ tum sese Romæ proferebat, cohors Græcos auctores
 legere, eorumque elegantias, apta imitatione, in patrum
 sermonem inducere ccepit. Quam diu vero constituit ille

C. 2 Roma.

e) libr. I. antiquitatum Rom. p. 49.

Romanæ linguæ splendor: quam diu seruata est singularis illa Latini sermonis gratia, quum inclinatiōi æuo Græcæ litteræ in Latio exspirarent; siue, vt, qui sit sensus meus, luculentius intelligatur, quum ab iis, qui Latine scribebant, negligentius illæ haberi cœpissent? f) Sane, quod de Troia veteres dixerunt, periuile eam, quum dii excessissent, idem quodammodo de eloquentia Romana post Græcarum musarum ex Latii scholis discessum potest adfirmari, quippe cuius vires fractæ quasi et debilitatæ, hoc sublato palladio, videbantur. Quum deinde hoc beneficium maioribus nostris benignior fortuna dedit, vt seculo post seruatum natum quarto et decimo litterarum studia ex tenebris illis, quibus demersa per tot secula delituerant, se efferent atque inter mortales reuiviscerent: quum post tot funesta, quæ barbaries indixerat, bella, vires iterum colligerent, rerum, in eloquentiæ campo feliciter gerendarum, auctoritates Græcarum litterarum augorio vñice fere contineri videbantur. Confirmauit id suo exemplo MANVEL CHRYSOLORAS, a Græcorum imperatore IOANNE PALAEOLOGO in occidentem legatus missus isque primus, qui post funestam litterarum stragem in Italia non sine optimis auspiciis Græcas litteras docuit iisque Latii musas ex somno quasi et sopore excitauit: confirmauit BESSARION purpuratus, CHRYSOLORAM aliquo temporis interuallo sequutus: confirmarunt id luculenter ambo illi GEORGII, alter GEMISTVS: alter TRAPEZVNTIVS CRETENSIS itemque THEODORVS GAZA THESSALONICENSES, MICHAEL APOSTOLIVS, CONSTANTINVS LASCARIS aliique, qui post expugnatam urbem Constantinopolim, temporis procellæ deuitan-

f) conf. 10. ZWINGERY oratio rum, orta ex supina Græca lingue igne de barbarie superiorum aliquot seculo rania.

uitandæ caussa, in Italiam se coniecerunt g) et ex quibus
 IOANNEM ARGYROPVLUM CONSTANTINOPOLITANVM,
 DEMETRIVM CHALCOCONDYLAM ATHENIENSEM, GEOR-
 GIVM HERMONYMVM SPARTIATAM, IANVM LASCARIM
 RHYNDACENVM, MARCVM MVSVRVM CRETENSEM ho-
 noris caussa nominare licet, maxime quod optimi illi viri
 eas ipsas Græcia litteras, quas CHRYSOLORAS primus ex
 sempiterna illa nocte in Italia extrahere cœperat, ad mai-
 rem lucem indefesso studio et ita quidem vocarunt, ut
 reducta Græca lingua, etiam Latina, velut illius socia ar-
 que, ut scite pronuntiavit QVINCTILIANVS, discipula, ex
 sepulcro quasi reduceretur. b)

SED, ut eo redeamus, vnde nos facta linguæ Latinæ
 fatorum mentio paullisper abduxit, quis est, qui ex his ar-
 effissimam illam litterarum Græcarum cum Latinis confocia-
 tionem non videat? Ex ipsis, quæ ob oculos vobis posuit,
 linguæ Latinæ fatis, credo, vos intelligere posse, vinculis
 his, medio æuo reuulsis, eloquentiam periisse omnem: nexit
 iterum et colligatis, restitutam eamdem fuisse non sine fau-
 stissimo ceterarum disciplinarum salutis augurio. Quot ce-
 lebria nomina a me forent hoc loco percensenda, si omnes
 illos linguæ Romanæ statores vellem commemorare, qui
 ex hac Græcorum schola, velut ex equo Troiano, tum pro-
 dierunt: si inprimis HERMOLAI BARBARI, IO. BAPT. MAN-
 TVANI, IO. PICI, principis Mirandulani, ANGELI POLL-

C 3 TIANI

g) de Græcis his, qui eo tempore Lipsiæ, c. 15 CCL,
 in Italiam profugerunt, præ ceteris vi-
 dendus est summe reu. CHRISTIAN.
 FRIDER. BOERNERVS libro de do-
 cēis hominibus Græcis litterarum
 Græcarum in Italia instauratoribus,

b) lege BORRICHIVM de æratibus
 Latinæ linguae, p. 93. et CHRISTOPHE
 CELLARIVM dissertationibus academi-
 cis, p. 486, sq.

TIANI, PETRI BEMBI, MARCI ANTONII SABELLICI, PAULLI ET ALDI MANVTIORVM, ANTONII MVRETI egre-gia in litteras Romanas merita celebrare vellem. Id tamen nolo vos ignorare, omnes hos aliosque plures, quotquot sane seculis superioribus in p̄eclaris his elegantiorum mun-sarum castris pugnare visi sunt, nunquam ad tantam elo-quentiae Romanae laudem fuisse peruenturos, nisi Gr̄ecis litteris optime imbuti: nisi his praesidiis armati: nisi his pa-bulis instruēti pedem in nobilissimum illud rhetorum intu-lissent stadium. Hæc tam certa sunt et manifesta, vt, si ho-die esset, cui nostro ævo suauissime illæ humanitatis disci-plinæ paulo obdormiscere, viderentur: si is caussam a me sc̄iscitaretur huius languoris, et quid esset, quod nostra æ-tas nullos MANVTIOS videat; aut MVRETOS; aut alios eius generis castitatis linguae Romanæ strenuos custodes: si por-ro vereretur, ne posteri in eamdem incidenter barbariem, quam maiores nostros scimus miserandum in modum insu-fieſle, ego certe, nisi me omnia fallunt, iure id vereriad-firmarem et litterarum Gr̄ecarum, quibus ad omnem eru-ditionem nihil est adcommodatius, contemtionem in causa-potissimum illius tenebricosi, si quod impendeat, temporis fore, libere pronuntiarem ⁱ⁾

QVANTVM ad linguæ Romanæ facultatem litterarum Gr̄ecarum studia faciant, video, vos satis superque ex his linguae Romanæ vicissitudinibus intelligere, p̄eſtantissimi auditores. Sed video id simul a vobis queri: in quanam potissimum re arctum illud linguarum harum positum sit

com-

ⁱ⁾ pr̄ter alios, qui de lingue Gr̄e. HEINSTVM de prolapsis Gr̄ecarum lit-terarum studiis et ad eas exhortatione, in medium adlatos, ad linguam hanc conseruandam eleganti oratione adhor-tatus est MARTINUS CRVSIUS in Ger-mano-Gr̄acia, p. 2. sq. cui additum DĀN.

HEINSTVM de prolapsis Gr̄ecarum lit-terarum studiis et ad eas exhortatione, p. 240. eiusdem orationum et ANGELI MARIAM RICCIVM cōboratione ad Gr̄ecæ linguae studium vol. II. eius disser-tationum Homericaram, p. 1. sq.

commercium, quod tantopere vobis prædicauerim? Quæritis porro, quidnam præcipue is debeat imitari, qui Græcos auctores eo consilio sibi familiares reddat, ut eorum ope et auxilio vtatur in comparanda sibi Latine dicendi vi et facultate? Restat igitur, ut et de hoc argumento quædam, breuiter ceteroquin ob temporis angustiam, dicam, quæ meam orationem in breuissimum nunc cogere viderur curriculum. Nemini potest esse obscurum, multa reperiri, in quibus nulla linguae Latine cum Græca sit coniunctio et adfinitas; neque, si a paucis discesserimus exemplis, in verborum scribendorum, coniungendorum, collocandorum; aut significationum iis attribuendarum ratione vberiore vsum Græcos auctores, quum Latine scribimus, posse præstare. Ita, si quis Latino vocabulo nouam et in veteri Latio olim inauditam significationem tribuere eidemque Græcorum scriptorum testimonii fidem concilire; aut Græcas loquendi formulas, nullo Romanorum auctorum suffragio nixus, ad verbum Latine reddere veller, nee is iure meritoque reprehensione dignus esse et suæ orationi, Græcorum indoli indulgendo, plus dedecoris; quam ornamenti contrahere, omnibus videretur. *k)* Lingua enim Romana, cuius vslus communis et patrius dum in Latio et aliis prouinciis obsoleuit, non patitur, ut in linguis viuis fieri videmus, mutationem; aut amplificationem; neque nobis in ea quid nouandi; aut abrogandi libertas et facultas est concessa. At vero, quamvis hæc ita se habeant: quamvis omne, quicquid Latine scribimus, probatissimorum, quos Latium tulit, scriptorum testimonio tueri se ac defendere debeat; tantum tamen abest, ut propter id Græcorum ingeniorum monumenta parum utilitas

tis

k) vide, quæ de sententiarum Græcietat. A. GELLIVS libr. VIII. noctium carum in eloquentia Romana vslu mo- Attic, cap. 9, p. 444, edit. GRONOVIT.

tis linguae Romanæ cultori adferant, ut rhetorem ad Graecorum imitationem totum singendum formandumque esse, nemo facile, quantum ego quidem scio, negauerit. Quicquid sane rhetores praeципunt, omnis deinde dicendi varietas, vis et suauitas: omnis denique scribendi copia et vniuersa apte numeroseque perorandi ratio ex Graecis scholis ad Latinas: ab his ad nostras est traducta. Habeimus in Graecis scriptoribus non prima solum eaque optima artis huius precepta; *1)* sed et praestantissima, quibus illa ad usum reuocata videmus, exempla. Suppedirant nobis totum, qui orationem deceat, habitum: discimus ex iis gratissima, quæ vel ad persuadendum valeant; vel ad laudandum; aut vituperandum argumenta: exemplo suo docent, quomodo oratio nostra vim sibi parare in animis auditorum: quomodo in his stimulos virtutis relinquere: quomodo eodem mouere ac, quocunque velimus, trahere debeat: haurimus ex illis omnem, quæ elegans sit, et oratore dignam argumentorum dispositionem, siue ad totum orationis complexum: siue ad singulas eius partes respiciamus: quid apte porro sit dicere, quid ornate, quid congruenter, quisquam clarius alibi; quam ex Graecorum ingenii feribus relucere, multis, neque immerito, visum est. Si exempli cauilla vel sola verborum translatio eorumdemque inuersio, quam Graeco nomine *metaphoram* dicimus, cogitatur, ea tantum orationi splendoris conciliari potest; quantum in emolumenti in eius legitimo usu habeat Graecorum auctorum lectio. Ex ea enim comparamus nobis solide iudicandi facultatem, aptane illa sit, ac elegans et

1) vñ patet ex libris DIONYSII περὶ ἐνέργειας περὶ ιδεῶν περὶ μεθόδου HALICARNASSENSIS περὶ αὐθιτονος δινόστησ, DIONYSII LONGINI περὶ ἵρωας, DEMETRII PHALEREI περὶ ὑψης, cet.

concinna, an dura, aspera; aut frigida. Discimus eiusmodi translationum suo quamque loco commode et ita adhibere, vt ne iis turgida et inflata; sed potius ornata et concinna reddatur nostra oratio. Si figuras, quibus oratio nostra, velut stellulis, distinguitur, expendimus, itidem Græcos auctores earum peritissimos opifices et architectos quasi habemus. Si porro, vt et hoc addam, in orationem locos inducimus communes: si in caussis rerum designandis; aut in earumdem descriptione versamur, vndenam, quæsto, perfectius exemplar, ad imitationem nobis proponendum. peti potest, quam ex Græcis scriptoribus, qui ita scribere solent, vt res traditas non audire; sed viuis quasi coloribus depictas ante oculos habere nobis videamur. Quicquid denique orationi pondus, quicquid grauitatem, quicquid ornatum et splendorem et gratiam conciliat, id totum ex Græciæ officinis est arcessendum. Quid sit Attice scribere: quid Rhodios imitari: quid Asiaticum; aut Laconicum discendi genus adfectare, ex Romanis scriptoribus non tam luculenter, tamque exquisite; quam ex Græcis, vt primis harum stili formarum artificibus, disci posse, satis est exploratum. Quæ porro magnifica ac sublimis, quæ mediocris, quæ tenuis sit scribendi ratio, quæ denique orationem reddant perspicuum, quæ grandem, quæ pulcram; aut moratam; aut concitatam: quid secludant; aut fugiendum sit, quum docemus; aut historiam scribimus; aut familiares inter amicos conferimus sermones et quæ sunt huius generis alia, in his omnibus optimi magistri Græci sunt, qui et præceptis et exemplis nos tam egregie, vt nihil supra possit, docent. Ut paucis multa complectar: nulla est sere stili virtus, cuius stabilem et certam possessionem, cuius optimam fabricam Græcis ingenii omni tempore

D

perman-

permansisse, non fateri debeamus. *m)* Quid quæso magnificentius DEMOSTHENIS: quidque magis perspicuum: quid facetius atque urbanius LVCIANI: quid planius et ad docendum aptius XENOPHONTIS: quid vberius et affluentius PLATONIS dicendi genere? In HERODOTO orationis vbertatem ac flumen, cum singulari suavitate coniunctum: in THVCYDIDE virilem illam eloquentiae vim et graue sententiarum pondus: in LYSIA naturalem et ne minimo quidem tumoris vitio adspersam grauitatem, singulari festinante mixtam: in ISOCRATE, si quibus placeat, artificiosam periodorum fabricationem ac sollicitam totius orationis partium singulorumque membrorum strueturam aptamque eorumdem compositionem admiramur. Et quid de AESCHINE dicam et LYCVRGO, quorum vterque sese tam ob argumentorum pondus, quam ob singularem elegantiam sermonisque castitatem satis superque commendauit. Quid denique de aliis, qui etsi ad illud eloquentiae, ad quod DEMOSTHENES, fastigium haud adscendere potuerunt; ipsorum tamen orationes non sine omni vi: sine gratia: sine elegantia esse, omnes, qui de his rebus solide iudicandi facultate sunt prædicti, uno quasi ore confitentur. Si poetas cogitamus, ecquis in toro, qua patet, diuinæ huius artis campo maiestatis gradus, quem summum Græcos poetas adsequutos esse, haud videmus? Tempus me citius; quam oratio deficeret, si, quantam vtilitatem HOMERV, EVRIPIDES, ARISTOPHANES, PINDARVS aliique poetæ Greici oratori adferant, fusius iam vellem demonstrare. *n)* Id solum hoc loco adnotasse sufficiat, ad quam CICERO,

m) vid. DANIEL. GEORG. MOR. CARTEROMACHI, p. 4. HERES-HOFIVM *polyhistor.* tom. I, libr. 6. BACHII p. 12, POLITI, p. 9, cap. 2. p. 957.

n) conf. orationes supra excitatæ mericar. p. 254.

RO, o) ad quam THEOPHRASTVS ille apud QVINCTILIA-
NVM, p) ad quam omnes, quotquot olim eloquentiae se
dederunt, et verbis et exemplis tantopere sunt adhortati, poe-
tarum Græcorum lectionem non vtilem modo; sed neces-
fariam quodammodo sine dubio esse videri.

LONGIVS sane, quam temporis angustiæ paterentur,
excurret oratio mea, mihius non tam copia; quam in
dicendo modus querendus foret, si vobis, PRAESTANTIS-
SIMI AUDITORES, caussas vellem in præsenti indicare, qui-
bus factum sit, vt in Græca potissimum gente eloquentia
ad tantum splendoris gradum eueheretur. Quibus enim
neque ingenium; neque indefessa per totam vitam industria
et perpetua exercitatio; neque libertas, q) optima illa elo-
quentiæ altrix; neque laboris præmia defuerunt, ab his
non potuerunt non nobilissimæ in præclara hac arte pro-
gressiones et felicissimi illi in his liberalis doctrinæ spatis
cursus exspectari. Vestrum est, auditores, si eloquentiæ
laudem consestari, si a litteratorum plebe, dum spenit
munditatem et elegantiam, loquentiæ potius; quam elo-
quentiæ studiosa, distinguere vos vultis, vestrum, inquam,
est, proposita vobis illustria sequi exempla, et in Græcorum
scriptorum, velut optimorum in eloquentiæ stadiis ducum,
familiaritatem penitus vos dare. In hos defigite oculos:

D 2

hos

o) lege eius pro Archia orationem,
qua multum poetarum lectioni tri-
buit, ad oratioram vim consequandam.

p) libr. x. institut. orat. cap. 1.

q) recte MORHOFIVS, quemadmo-
dum vero, inquit, vivida illa fori elo-
quentia atque igneus ad populum pero-
randi vigor vix in alia; nisi in libera-
republica, locum inuenit, dum sub prin-

cipibus virtus ifta mollescit veluti, et e
concitato vehementique dicendi genere
remissius placidiusque: e graui mas-
culo sublinique blandum et quod placere
magis; quam mouere studet, evadit;
ita sane apud Græcos idem, post fer-
alem Greæca liberraris euerstonem acci-
diffè, testis omni exceptione maior Ci-
cero nobis est, ect. polyhist. rom. 1.
libr. 6. cap. 2. §. 12. p. 964.

XXVIII

hos imitamini: horum auspiciis aditum vobis patefacite ad veram illam, quam maiores vestros consequutos esse, cernitis, eloquentiae laudem, vobisque persuadete, optimas illas Graeciae musas tantum vobis gloriae et honoris esse adjuncturas, quantum vos laboris et industriae in illarum officinis impenderitis.

REDEO nunc ad te, AMPLISSIMA SOCIETAS, animumque salutis, honoris et felicitatis tuae studiosissimum sancte tibi polliceor ac, laetis excitatus omnibus, spondeo. Seruet benignissimum numen SERENISSIMUM TVVM PROTECTOREM, CLEMENTISSIMVM PRINCIPEM, FRIDERICVM, terrarum Gothanarum et Altenburgensium heredem, spem patriae, nostras et totius mulierum cohortis delicias: seruet ac tuetur illustrissimum praesidem, HENRICUM XXVI. comitem Rhurenus, fulgentissimum illud nostrae societatis fidus et litterarum praeципuum decus: seruet denique et vos, praestantissimi sodales: largiatur vobis omnia, quibus vera et constans felicitas absolvitur, atque efficiat, ut hoc mansuetiorum musarum facillum omni tempore sit florentissimum et fortunatissimum.



Ca 1728

ULB Halle
005 111 064

3



B



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-329986-p0034-4

DFG

ORATIO

DE
**LITTERARVM
GRAECARVM STUDIO**
AD
**CONSEQUENDAM LATINAЕ LIN-
GVAE FACVLTATEM
PERVTLI**

QVA

DIRECTORIS PROVINCIAM
IN AMPLISSIMA SOCIETATE LATINA
SOLLEMNI RITV
IN SE SVSCIPIT
IO. ERN. IMMAN. WALCHIVS
P. P

IENAE
SVMTIBVS SCHILLIANIS cccclii.

1902. 317

1759

